



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Impedimentum disparitatis cultus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

inducitur crimen dirimens quando quis occidit uxorem, ut contrahat cum alia, quæ non fuit particeps homicidii, aut ob aliquem finem, aut animo ducendi aliam indeterminatam, aut quando quis occidit uxorem in flagrante crimine adulterii deprehensam. Denique occidens uxorem suam ut aliam ducat, potest matrimonium inire cum alia cum qua non peccavit. Hoc impedimentum criminis contrahitur solum à fidelibus. *ibid. n. 12. & seqq.*

Impedimentum disparitatis cultus.

89. Disparitas cultus reperitur inter fidelem & infidelem: unde matrimonium baptizati, seu fidelis contractum cum infideli, seu non baptizato invalidum est jure Ecclesiastico; sed non jure divino, vel naturali. Quando infideles conjugati convertuntur ad fidem, non sunt separandi, nisi infidelis nolit habitare cum fidele, aut vult habitare quidem, sed non absque injuria creatoris, id est, quando compellit fidelem ad peccatum. *ibid. punct. 7. num. 1. & seq.*

90. Matrimonium non solum ratum, sed etiam consummatum dissolvitur per professionem infidelis conversi factam in religione. *ibid. num. 9.*

91. Filii, quando unus parentum convertitur ad fidem altero persistente in infidelitate, sequuntur conditionem parentis fidelis, quando filii nondum sunt capaces delicti, alioqui relinquendi sunt in propria libertate. *ibid. num. 11.*

Impedimentum vis.

92. Metus intrinsecus, seu à causa intrinseca, distinguitur à metu extrinseco, qui fit à causa extrinseca libera. Vis & metus adhuc est duplex, unus, qui aufert omnino consentum & voluntarium, alter est, qui non tollit omnino consentum, sed solum tollit securum quid. Præterea est adhuc metus cadens in virum constantem, & cadens in inconstantem. Ad metum gravem & cadentem in constantem vicium revocatur metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, vel longi carceris, vel exilii diuturni, vel servitutis, vel stupri, vel amissionis status honorifici, omnium bonorum, vel saltem magnæ partis: similiter metus infamiae, juris vel facti. *ibid. punct. 8. num. 1. & seq.*